

ergo Christus ad se arguendum Iudeos admisit⁹, si Paulus Petrum reprehendit, his exemplis prelati subditorum iustas reprehensiones repellere non permit- 15
tuntur¹⁰. Loquar ergo securus tot fultus auctoritatibus et tantis incitatus
(*fol. 60^v*) auctoribus ex scripturis canonicis vos convincam, immo ipse
scripture convincant iudicium vestrum in meam personam prolatum
de vultu Dei non processisse. Condenpnastis enim me non convictum, non
sponte confessum, cum canon dicat: „Nos in quemquam sententiam ferre non 20
possumus, nisi aut convictum aut sponte confessum¹¹.“ Et Dominus Iudam furem
esse sciebat. Sed quia non fuit convictus, non fuit eiectus¹². His auctori-
tatibus vos ordinem iuris perturbasse, immo iura evertisse manifeste
declaratur, cum ordo iudiciarius a vobis maxime esset observandus.
Est et aliud, quod iudicium vestrum prorsus adnichilat, nimis scilicet 25
prepropere precipitata sententia. Debuit quidem Dominus omnipotens
vos a precipitande sentencie prolacione conpescuisse^c, qui mala Sodome audita
tantum noluit iudicare, sed ait: „Descendam et videbo, utrum clamorem, qui
venit ad me, opere compleverint.“ Si Deus, cui omnia nuda sunt et aperta, mala
Sodomorum, quorum clamor usque ad celum pervenerat, prius nec credere nec 30
vindicare voluit quam ipse diligenter investigasset, que audierat, nos, quibus incog-
nita sunt et occulta iudicia Dei¹³, qua fronte, qua conscientia precipitamus
sententiam? Sic ergo et inordinate et prepropere prolata est sententia.

Est et aliud, quod iudicium vestrum pondus non habere manifeste
demonstrat: quales enim debeant esse, per quos aliorum culpe feri- 35
untur, per quos aliorum vicia corriguntur, declarat auctoritas dicens:
„Iudicet ille de alterius errore, qui non habet, quod in se ipso condenpnet. Iudicet

c) *Korrigiert aus conpescuisse.*

9) C. 2 q. 7 c. 39 (ed. FRIEDBERG, *Sp.* 495): Christus Iudeos ad se arguendum admisit perfectione humilitatis, non severitate iuris.

10) C. 2 q. 7 c. 39 (ed. FRIEDBERG, *Sp.* 495): Hoc ergo exemplo prelati non coguntur recipere subditos in accusatione sui, sed permittuntur. §. 4. Item Paulus Petrum reprehendit, qui princeps apostolorum erat. Unde datur intelligi, quod subditi possunt reprehendere prelatos suos, si reprehensibiles fuerint.

11) C. 2 q. 1 c. 1 (ed. FRIEDBERG, *Sp.* 438): Dampnari non valet nisi aut convictus aut sponte confessus. Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut sponte confessum.

12) C. 2 q. 1 c. 4 (ed. FRIEDBERG, *Sp.* 439): Nam et Dominus noster Iesus Christus Iudam furem esse sciebat; sed quia non est accusatus, ideo non est eiectus.

13) C. 2 q. 1 c. 20 (ed. FRIEDBERG, *Sp.* 448f): Sententia non precipitanter ferenda est. Deus omnipotens, ut nos a precipitandae sententiae prolacione conpesceret, cum omnia nuda et aperta sint oculis eius, mala tamen Sodomaie noluit audita iudicare prius, quam manifeste cognosceret, que dicebantur, unde ipse ait: „Descendam, et videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut